agnoſco, & haberi lætor: at hæreſis accuſari non feram, non patiar, non ſinam. Nam licet omnium criminum genere grauarer, præſto eſſet remedium à fide: at ſi ab illa deficerem, nulla ſalutis ſpes ſupereſſet.

Æquo feram animo nos imperitos, barbaros, Theologiæ, & Traditionis rudes, nos omni vitiorum genere corruptos traduci: nec ſi ad iſta obmuteſcamus, aliqua ex ſilentio patientiæ laude, ac mercede, apud ſapientes fraudaremur; nec hæreſis accuſationi, neceſſario publica ſcriptione intercedendum putarem, ſi ab aliquo nullius, aut mali nominis detractorum teſtimonio in nos inſtauraretur. At publicam Caluiniſmi hareſeos nobis ſcriptam dicam à viro grauiſſimo, cum aliquâ commiſerationis & modeſtiæ ſignificatione, quo ſemoto in ſpeciem omni ſtudio partium, Lectorum animis cenſura, ſe his verborum lenociniis inſinuet, & irrepat; quis non videat inde præſentiſſimam nobis damnationem intentari? Eóque diligentiùs Antidotum parandum, & omnino indictam vindicationis neceſſitatem; quam non liceat eluctari, niſi cum aperta maximi criminis confeſſione, & infamiâ? Atque hinc nedum excuſabunt, ſed laudabunt etiam æqui Lectores, ignotum hominem, auſum in eam hominum eruditorum celebritatem prodire, & Scriptori tot nominibus commendato reſpondere: nec attendiſſe, quàm diſpari ſeſe pugnæ committat.

Nihil horum clàm me fuit: plura etiam, iſta cogitanti obuerſata ſunt animo, quàm quæ objiciuntur. Sed apud me vna accuſationis Caluiniſmi atrocitas, per ſe maxima, eorum à quibus